Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



culos meos. et dixit mihi. Vade ad natatoriam
syloe et laua. Et abii. et laui. et uidi. Et dixe-
runt ei. Vbi est ille. Ait. Nescio. Adducunt eum
ad phariseos. qui cecus fuerat. Erat autem sab-
batum. quando lutum fecit et aperuit oculos eius.
Iterum ergo interrogabant eum pharisei. quomodo
uidisset. Ille autem dixit eis. Lutum posuit mihi su-
per oculos. et abii. et laui. et uideo. Dicebant
ergo ex phariseis quidam. Non est hic homo a deo.
qui sabbatum non custodit. Alii dicebant.
Quomodo potest homo peccator hec signa face-
re. Et scisma erat in eis. Dicunt ergo ceco iterum.
Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos. Ille
autem dixit. quia propheta est. Non crediderunt ergo
iudei. de illo quia cecus fuisset et uidisset. do-
nec uocauerunt parentes eius qui uiderat. et
interrogauerunt eos dicentes. Hic est filius noster. quem
uos dicitis quia cecus natus est. Quomodo ergo nunc
uidet. Responderunt eis parentes eius. et
dixerunt. Scimus quia hic est filius noster. et quia
cecus natus est. quomodo autem nunc uideat nesci-